

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Simonius Johann Rhulenius

De Liberalitate Regum Erga Doctos, Oratio

Rostochi[i]: Pedanus, [1613]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729134261>

Druck Freier  Zugang



J. Rhulenius.
R.U. phil. 1613.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729134261/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729134261/phys_0002)

DFG

DE LIBERA-
LITATE REGUM
ERGA DOCTOS,

Oratio:

Habita & Recitata

IN COLLEGIO ORATORIO,

Clarissimi, Humanissimi, Doctissimorum Viri,

Dn. M. IOANNIS SIMONII,

Oratoriæ in incluta & laudabili Illastrissimorum
Principum Megapolitanorum Academia
Professoris publici:

à

JOHANNE RHULENIO

Vismariensi Megalburgico.

Quarto Nonarum Februario

A N N O

qVI s nesC It DaMon Is astVs.

1613
• 6(1)90 •

ROSTOCHI

TYPIIS JOACHIMI PEDANI.

Nobilissimo, Doctissimo, Prudentiâ & Au-
thoritate Ornatissimo & multo rerum usu, experientiâq;
Prestantissimo Viro,

Dn. VALENTINO à PLESSEN,
Hæreditario & Possessori in Hökendorff.

U T S T

Reverendo, antiquâ nobilitate & summa
doctrinâ Illustri,

Dn. VOLRADO à PLESSEN.
Cænobiarchæ Sverinensi dignissimo, Equiti Me-
gapolitano, Hæreditario & Possessori
zum grossen Hause.

N E C N O M

Ornatissimo, prudentiâ, multoq; rerum
usu Excellentissimo,

Dn. CHRISTOPHORO ZAUKEN.
Civi Rostochiensium primario:

Dominis Mecanatibus, & studiorum suorum
Promotoribus, omni observantiâ prosequendis,

Dico & Consecro

Johannes Rhulenius.



De Liberalitate Regum erga Doctos.

Semonidem Poetam, Theocritus Auctor est, duas arcas habuisse, ex quarum una deprorsit, si quid ipse in alios beneficiis conferret; in alteram vero repousuerit, quicquid doni loco ab aliis acciperet: Et quidem illam sapientiam fuisse exhaustam, ut jaepc eam replere necesse haberent; hujus vero accessiones ita raras fuisse, ut ne quidem multorum annorum spatio opus habuerit, reponendi alicujus gratia eam aperire, atque recludere. Similis fere est, Auditores, horum temporum ratiopar conditio. Pauci enim hisce ultimis temporibus reperiuntur, qui in litteras literatos aliquid conferant: cum tamen eorum, qui divitijs praereliquis ordinatis sunt, hoc esset officium. Sunt, Deo gratia, quidam, qui studia humaniora, illas, sine quibus vita humanae societas nec colli, nec celebrari potest, disciplinas sua liberalitate munificentia juvant: Sed quam pluri:ni inueniuntur, qui cum idem possent facere,

cere, tamen negligunt. Cumq; illi non solum debitā
laude non sint defraudandi, sed multò magis mactan-
di: tum etiam danda opera sit, ut reliquos ad eandem
laudem atq; adorem erigamus, atq; si fieri possit, in-
cendamus: sumsi mihi materiam aliquam huic meo
proposito, ut spero, aptam & accommodatam. Di-
cam enim: Regum & Principum in Republica viro-
rum esse, ut studia linguarum & litterarum liberali-
ter juvent & ornent.

Rem gravem & arduam bumeris meis à me
ipso impositam sentio: cùm & maximè invidiae telis
hæc dictio sit proposita: & periculosem sit de illis scri-
bere, qui possunt proscribere: multi deniq; judicent,
non pertinere hæc ad nostrum ordinem, sed nos his di-
cendis extra cancellios nostros ruere. Cum verò ea
dicturus sim, quæ ad laudem, quæ ad decus, quæ ad
gloriam virorum in clarissima luce collocatorum, perti-
neant: spes me foveat pulcherrima, fore ut hujus auda-
ciae veniam facile à bonis & candidis impetrém. id
quod oro & rogo. A vobis, Auditores, peto, ut mihi
rem illam brevi oratione comprehendere meditanti
per exiguum temporis spatiū attentionem ne dene-
getis; hæc si à vobis impetravero, ut omnium prima,
ita maxima beneficia à vobis in me collata putabo.

Deus ter Optimus Maximus, Parenz atq; con-
servator.

servator totius generis humani, studia literarum, sine
quibus neq; profana illa, neq; sacra didicisse, quicquam
profuerit, liberalitate Regum & Magnatum conser-
vari præcipit; cum vult Reges & Principes Nutritios
Ecclesiarum esse: id quod quidem serio in verbo suo
mandavit his verbis: erunt, inquit, Reges nutritij tui
& Reginae nutrices tuae. Hæc est Dei imperantis
illa vox, cui meritò omnes obedientiam debent Princi-
pes, ut nutriant Ecclesiæ. Verum enim vero, nisi
linguae & litteræ colantur, non posse Ecclesiæ nutriti
& conservari, tam clarum est, atq; est Sol, cùm in
altissimo gradu collocatus nullis nubium involucris
tectus est. Nec enim per Ecclesiam intelligimus adisti-
cia ex ligno aut lapidibus: sed hac voce complectimur
illam doctrinam, quæ in eo cœtu, qui Christum se-
quuntur, publicè sonat, publicèq; traditur. Hanc do-
ctrinam sine litteris non posse conservari; disertè affir-
mamus. Quis enim homines de doctrina Ecclesiæ
informaret? quis eruditiret? quæ fugienda, quæ facien-
da illis aperiret? quis salutis viam monstraret? si non
prius rerum diuinarum & cœlestium ad salutem scit
necessiarum cognitionem habuerit? Testatur id ipse
Deus; qui Elogia sua & mysteria tribus præcipue lin-
guis, Hebreæ, Græca & Latina connotari, describi &
propagari voluit. Testatur id utrumq; Testamentum,

ex quibus *vetus Hebrae*, *novum Graeco sermone cons-*
fectum est. Testatur idem *Elogium mortis Salvato-*
ris nostri Iesu Christi lingua Hebraea, Graeca & Latini-
na p̄scriptum, & supra caput Christi affixum; quo
Elogio Christus in Cruce pendens, coronam spineam
capite gerens, expansis brachijs distentus, pedibus &
mambus perforatus, significare voluit, præconium de
morte sua tribus illis linguis conservatum & per to-
tum mundum propagatum iri.

Quis igitur inter homines tam barbarus esset, qui
bac studia, has litteras, has linguas, negligendas, ac
non multò magis, tanquam cophinos quosdam, quibus
elegiorum Dei magnitudo continetur, conservandas
affirmaret? His enim cophinis negleclis, linguisque
spretis, quot abominationes, quot idolomania, quot cor-
ruptela, in Ecclesiam invectae sunt? id quod unica
tantum Papistarum colluvies satis superq; testatur.
Nam cùm malè versa essent Biblia in Latinam lin-
guam; ex impuris illis cisternis, vah quantum veneni
in Ecclesiam fuit in vectum! Promissionem primam
de conterendo capite serpentis ad Mariam transstu-
lerunt: quia in vulgata versione habetur, ipsa conteret
caput serpentis, cùm tamen Hebreus articulus ad se-
men respiciat. Semen autem est Christus, teste A-
postolo. Pari modo a simili invocationem sancto-

rum

tum stabili verunt, quia à Patriarcha Jacobo dictum
est, in vocetur nomen meum super istis pueris: cùm
tamen phrasis Hebreæ id significet, quia adoptio eo loco
facta erat, fore, ut pueri isti Ephraim & Manasses
non nomine Patris Josephi, sed adoptantis Jacobi deinceps
nominarentur & vocarentur: id quod adoptionum
proprium esse, etiam ex jure civili constat. Sed
quis omnes, vel saltem sub una Pontificia tyrannide ex
phraseos ignoratione natos errores enumerare valcat?

Quare stat fixum, immotumq; hoc principium:
cùm Deus Regibus & Principibus hoc officij imponat,
ut sint nutriti Ecclesiarum: simul & hoc serio injun-
ctum esse ipsis, ut conservent studia linguarum, ea q;
ornant & juvent. Est enim omnino necesse, id quod alii
ter fieri non potest, ut studia litterarum, quæ universo
generi humano prossunt, & in prosperis sunt ornamen-
tum, in adversis refugium, ab his conserventur, qui
hominibus præsunt.

Fam quod studia linguarum & litterarum toti ge-
neri humano conducant, res ipsa loquitur. Nulla enim
vite pars est, neq; privatis, neq; publicis, neq; foren-
sibus, neq; domesticis in rebus, quæ fructu litterarum
& linguarum carere possit. Latina lingua cognitio-
nem Scholæ expetunt, curia desiderat, Legationes re-
quirunt, instrumentorum consignatio, & historiarum

nota-

notationes efflagitant. Græca lingua nobis omnem
humanitatem impertivit: quæ tam utilis est, ut, qui
veram ac solidam doctrinam consequi sperant, hi sibi
Græca lingua & cognitionem omnino necessariam esse pu-
tent. Nec enim verus Theologus sine cognitione Gra-
æca lingua quis nominari potest: Et Philosophia Gra-
ecis litteris est mandata: Et Historia Græco sermone
sunt conscriptæ: ipsi fure consulti quoq; Græca lingua
carere minime possunt. Quid multis?

Si libros sacros vis discere: discito Græcè:
Argumentari quisquis vis: discito Græcè.
Quisquis Rheticen vis discere: discito Græcè.
Scire Mathematicam quisquis vis: discito Græcè.
Artibus es Medicis qui caprus: discito Græcè;
Morbis nam cunctis sunt indita nomina Græca.
Artes ingenuæ Grajo sermone loquuntur.
Ad summum, Doctis debentur singula Græcis.

Quid dicemus de Hebraica lingua, quâ imprimis Ec-
clesia carere nullo modo potest. Nam illa nobis pri-
mordia omnium, creationem mundi & hominum
monstrat; lapsum primorum Parentum, eorundemq;
per filium Dei restorationem aperit; Deum ipsum
patefacit. Quod quantum beneficium sit, id patet ex
optimis quibusq; Philosophis, qui adeo pueriliter de
mysterijs divinis philosophati sunt, ut nihil possit dari
puerilius. Democritus finxit atomos: Aristoteles pri-
mum

vum & ultimum hominem dari posse negat. Platonici Deum quidem creasse mundum statuunt: ex nubilo negant. Animam Homerus dixit esse cor: Alij vel harmoniam, vel numerum vel nomen inane vel cerebrum. De Deo autem vah quot sunt Ethnorum opiniones! partim monstroae, partim etiam blasphemæ? Tantam ignorantiam sola Hebraea lingua de oculis nostris depulit. Quis itaq; quæso, tam agresti, tam rudi animo esset? qui studia linguae Hebreæ abolenda, non colenda servandaq; censeret?

Fam de artibus ut aliquid addamus: priori loco mihi Grammatica, quæ ceterarum artium ac disciplinarum fenestra & janua est, quæ ad reliquas facultates & scientias omnes aditum patefacit, illa, inquam, priori loco mihi tractanda videtur. Nam si ne Grammaticæ perfecta cognitione ad sublimiora studia contendere, quid est aliud, quam Icarum & Phætonem imitari? Itaq; Julius Cæsar tanti hanc artem fecit, ut qui toius orbis Imperator futurus erat, imperio & legibus Grammaticæ se prius submittendum putarit. Pergo ad Astronomiam, de qua ut verè dicam, quod enio, ita mecum statuo; si illa mortalibus non data fuisset, homines parum à brutis absuturos fuisse, quibus nulla est temporis conditio. Si enim illa carceremus, navigationes jacerent, sublata

B

essent

essent commercia: nemo omnium horinum tempora-
tionum, arationum & similium rerum, sine quibus
ne vivere quidem possumus, scire, aut alijs praescribere:
nemo cum alio contrahere & de solutione aut annuo
censu convenire: nemo in Ecclesia Dei statos sacrorum
dies & festa habere posset. Geometriam nunc videa-
mus, absq; qua si esset, ignot& essent arcium, propugna-
culorumq; & munitamentorum rationes; horologiorum
& automatum miracula nulli essent cognita: nemo lo-
corum intervalla, Regionum fines, agrorum limites ob-
servare: nemo deniq; Astrorum positus, mutuos side-
rum aspectus, distantias a terra & a se invicem notare
posset. Quod si vero Medicinā destitueremur mul-
tis morbis prostrati plurimi occiderent. Nam saepe ubi-
ra medicanda sunt; saepe somnus arte revocandus.
Ulceræ omnibus infantibus communia, quæ non ma-
turescerent, sed alios morbos secum adferrent, nisi ars
opem ferret: ipse matres edito foetu infinitis morbis
obnoxia sunt, quæ sine ope medica servari non possunt.
Porro si Jurisprudentiā privati essemus: quanta in-
commoda sequerentur? Tyranni & barbaries inter-
homines regnarent: omnes litteræ in maximo contem-
ptu essent, & etiam Ecclesiæ magis negligerentur.
Deniq; si Theologiæ careremus, quæ tota eò tendit, &
ad hunc scopū directa est, ut incomprehensibilem illam

& in-

Et infinitam bonitatem Et misericordiam Dei nos doceat cognoscere: Si illa, inquam, careremus, quantis miserijs essemus expositi? quam infinitis incommodis subjecti? quantis malis quasi consecrati?

Hi ergo linguarum fructus, hæc litterarum beneficia tanta sunt, ut nec satis dignè cogitari, nec satis magnificè prædicari possint. Nec enim hæc studia litterarum, Auditores, unius sunt loci: in ipsam Americanam penetrarunt. Nec sunt unius temporis: sed hæc beneficia ab initio mundi usq; in hoc præsens tempus durant. Nec sunt unius personæ propria: sed totius generis humani communia.

Quare Et pij Principes Et Reges nullis sumptibus parcent, sed totis viribus Et omni animi impetu in id incumbent, ut litteræ inter homines conserventur. Deus enim hoc conservandarum linguarum Et scientiarum officium illis imposuit. Idemq; hanc curam Et tutelam Reipublicæ Principibus demandavit, ut omnes ejus partes conservent. Sunt autem non minima Reipub: pars ij, qui serio, fideliterq; Et docent Et discunt linguas, easq; artes honestas, quæ, quod ingenuum deceant, liberales vulgo dicuntur. Adde, quod Magistratus, hoc est proprium, esse Patrem Patriæ. Quare sicut Pater omnia ad utilitatem liberorum confert: ita Et Principes, qui Patres Patriæ vocantur,

merito facere debent, ut ad utilitatem subditorum
omnia conferant. nihil autem majus est, nihil praeclarus,
quod in subditos conferre possunt Principes, quam
si litteras & linguis alant. His enim omnia conti-
nentur, que ad bene beatèq; vivendum pertinent: ab
his pendet rerum salus: sine his neq; rectè imperari,
neq; rectè obediri potest: hæ in prosperis sunt orna-
mentum, in adversis perfugium: hæ adolescentiam
alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, de-
lectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobis-
cum, peregrinantur, ruficantur: hæ emolliunt mo-
res, nec sinunt esse ferros. Quod enim oculi sunt in
corpo, hoc litteræ & artes sunt in Republica. Ut
oculi omnia membra corporis: sic litteræ & artes lu-
strant omnes Reipublicæ partes.

Quocirca ut à Principibus litteræ & lingue con-
serventur, ipsa salus publica, nomenq; Principum
postulat, & suo quodammodo jure flagitat. Tyran-
norum autem est destruere Scholas; abolere litteras;
extinguere scientias. Videte enim, Auditores, illos
carnifices, qui Athenas olim subverterunt. Aspicite
Julianum Apostatam, qui Filios Christianorum in
Scholas Rhetoricas admitti prohibuit: Considerate Tur-
cos, qui in eximis illis, quas tenent, partibus, Acade-
mias immanni atrocitate oppresserunt. Quam enim, pia-
tatis.

tatis, esse immanitatis illius causam aliam, quam
quod carnifex illi norant, non posse crudelitates & lit-
teras, artium amorem & Martis furorem, virtutis
studium & libertatis odium una cohabitare? Sed hæc
tyrannica Tyrannis relinquuntur: p[ro]ij Principes id ope-
ram dant, id contendunt, id unice cogitant; hæc littera-
rum lumina esse accendenda, non extingueda: hos
fontes esse conservandos, non destruendos: hos oculos
esse curandos & tuendos, non effodiendos.

Itaq[ue] omnibus tempestatibus fuerunt viri in Re-
publica potentes, qui litteras coluerunt atq[ue] aluerunt.
Vultis ut incipiam à primo omnium nostrum Parente
Adamo, in quo suum initium agnoscunt omnes Re-
ges? Is profecto litteras & artes liberales impensè co-
luit & fovit. Vultis deinde Reges Agyptios? &
hi certè studia doctrinæ & litterarum ab Abrahamo
excitata, postea semper coluerunt & magnifecerunt.
Quid dicā de Regibus Palæstinis, qui primò omnium
in urbe Dabiritate Academiam instituerunt, eamq[ue]
teste Anno in Xenophontem, liberalissimè foverunt.
Pratereo alios per Græciam viros illustres, qui littera-
tos homines magnis sumptibus aluerunt, quod sanè in-
numerabilibus exemplis manifestum facerem, si tem-
pus & occasio pateretur.

Verum enim vero, ut benignè experiamini, me non

B. 3.

plane

plane rationibus & exemplis carere, ante oculos vobis proponite Ludovicum undecimum Regem Galliae, qui, ut Cominatus resert, Medico suo instrumentum suspenditum decem aureorum millia dare solebat, sic ut intra quintum mensem ille ab eo ad quinquaginta quatuor millia acciperet. Thadæus Florentinus Medicus in tanta fuit autoritate, ut extra urbem proficisci saepe in singulos dies numerarentur quinquaginta coronati; & vocatus ad Papam Honorium 4. ab eo haberet centum. Quapropter toto tempore, quo valetudinis ipsius curam gessit, collegit decem millia coronatorum. Narratur quoq; de Petro Apponensi Medico Patavino, quod nunquam vocatus valetudinis curanda gratia ad agros extra urbem Bononiensem prodierit, nisi constituto stipendio dietim quinquaginta coronatorum. Quum ad Pontificem aliquando agrotantem accerseretur, paclum prius esse singulis diebus solarij loco quadringentos coronatos. Praeter ceteris autem Alexander Magnus munificentissimus erga Doctos fuit. Memoria enim est proditum, eum Aristoteli pro describendis naturis animalium, subministratis omnibus sumptibus, præmium laboris dedisse octingenta talenta, hoc est secundum quorundam opinionem, coronatorum aureorum milia quadringenta, octoginta. Tales Alexandros & Ludo-

Ludo vicos omnibus litteratis hominibus optarem, si
fas mihi esset Deum rogare. Sed, omissis illis, ad Ger-
maniam propero: in qua primum collegium Carolus
Magnus Anno septingentesimo septuagesimo sexto
excitavit. Hunc secuti sunt & alij permulti Principes
& Reges, inter quos mihi laudandus occurrit Dux &
Elector Saxoniae Mauricius, qui non solum duas ce-
lebres & laudabiles Academias, ut legimus, Lipsen-
sem, & Witbergensem conservavit & sumptibus
auxit: sed etiam tres Scholas, Misnensem, Grim-
ensem & Portensem in suo Principatu fundavit &
aperuit, ubi tam discipuli permulti, quam ipsi Pra-
ceptores perpetuo publicis sumptibus sustentantur &
aluntur. Neque non recordari possum pietatis & be-
neficentiae Illustrissimorum Principum Megapolen-
sium erga Litteratos & Doctos homines, qui hanc in-
clutam & illustrem Academiam, Anno post natum
Christum millesimo, quadringentesimo decimo nono,
fundarunt, & postea in servitutem redactam in li-
bertatem vindicarunt immensis sumptibus in eam
rem collatis. Quapropter hos Principes viros comi-
tantur præmia infinita & nunquam moritura. Sed
quaret jam quispiam, quænam illa sint? Laus, in-
quam, Gloria, nomen nunquam desiturnum. Nam
quid, quæso, Carolum Magnum immortalem fecit?

Regium.

Regium in Doclos & Bonos studium. Quid Si-
gismundum IV. Imperatorem Augustum perpetuâ
circumfulgere gloriâ fecit? Casareum in Doclos &
Bonos studium. Quid Illustrissimos Principes Joan-
nem & Albertum Duces Megapolitanos, Funda-
tores & Parentes hujus Academiae: quid reliquos
ejusdem conservatores, cum alios, tum imprimitis Di-
vum Joannem Albertum, nostrorum illustrissimo-
rum Principum Adolphi Friderici, & Joannis Al-
berti Fratrum, qui hodie his oris imperant, Avum,
& Divum Vldaricum Joannis Alberti Fratrem,
Duces Megapolenses, aeternitati consecravit? Re-
gium in litteras & literatos studium. O rem admi-
randam! jacent in tenebris tam multi etiam boni
Principes, quorum nomina, non nisi illis, qui genea-
logias recitant, cognita sunt. Vestrum, Dive Joannes
Alberte, Dive Vldarice, Fratres, Duces Megapo-
lenses, vestrum, vestrum, inquam, nomen nunquam
intermorietur: sed dum mundi machina erit, dum
litterae erunt, dum viri doctrinâ praestantes erunt, vi-
gebit & vivet.

Sed nunc tempus est, Auditores, ut, quibus
technis hic soleant Regum & Principum animos fasci-
nare nonnulli ab omni humanitate alieni, quasq[ue] ca-
lumnias in nos jacere soleant, cognoscamus. Ajunt,

Numam

Numam Pompilium nullis ejusmodi litteris, in quibus nunc Academici se efferunt fuisse imbutum: tam
en suopte ingenio temperatum virtutibus animum
habuisse: Instruclum autem fuisse una Sabinorum
disciplina: atq; hinc apparere afferunt, sola natura du-
ce, absq; litterarum secretis, existere posse ingenia ex-
celsa, justicie vim tenacissimè tenentia. Hac est eo-
rum, qui studijs male cupiunt, una oratio. Sed mis-
eri illi & insufi ignorant, quid dicant. Non negamus
naturam ad virtutem multum posse; sed solam illam
ad eam rem sufficere non concedimus: tantum posse
contendimus, atq; ager, licet optimus, potest ad produ-
cendas segetes sine agricola & sine diligentí cultura.
Ad naturam enim oportet accedit doctrina & exer-
citatio. quæ quidem ita perspicua sunt; ut, si qui non
videant, hi talpis sint cæiores.

Verum ut his quodammodo ignoscendum vide-
tur; sic illi execrandi sunt, qui Principibus & Regibus
Latiniānum illud odium erga Academias insur-
rant, easq; vel non conservandas vel etiam radicitus
extirandas esse perhibent: ideo, quod non tantum
magnis sumptibus constent, sed quod præcipue in Em-
porijs (ut Syndici cuiusdam ultra marini, referente
Chytrao, tribunitia vox habet) maritimis semina-
riis sint illæ Scholæ & fomentum perpetuum multa-

C

rum

vum dissensionum, seditionum & exitialis discordia,
nec fieri possit, quin & jurisdictione & disciplina labefactetur, variaq; utrig; parti incommoda inferantur.
Hec sunt immunita illa, Auditores, quæ in nostrum
ordinem excogitantur, portenta: haec sunt illa, quibus
ab hostibus nostris ferimur arma: haec sunt illæ, quibus
illi jugulum nostrum petunt, siccæ.

Ast bene se res habet. Est enim hoc maledicentia
proprium, convicum facere bonis. Academias au-
tem boni causa coli, res ipsa testatur. Sed sunt, qui
ex rerum præclararum ruina sibi laudem quarant. nec
enim serpens fit Draco, nisi devoret serpentem, ut pro-
verbium habet. Herostratus, cum inclarescere vel-
let, Templum Diana Ephesi incendebat: sic hodierno
die multi splendorem nominis ex Academiarum clade
sibi quarunt. Non potest quidem negari, passim fe-
rè nullam esse in locis paulo frequentioribus Acade-
miam, ubi non disputationes fuerint aut sint de juris-
dictione: sed si Academicci apud illos semper vive-
rent, qui aut justi essent; aut justicæ, quæ sola potest
lites omnes decidere, vocem audire possent aut vel-
let: non laborarent Academæ; nec illis fieret, quod
Romano cuidam accidit, qui cum ab altero graviter
fuisset pugione percussus: tamen in judicium vocatus
canissam dicere debuit, cur non totum ferrum recepisset.

Sed

Sed incommoda mihi narras , quæ civibus ex Academis evenire soleant? Nam verò Cerberum mallem metueres , quam isthac tam inconsideratè proferres. Quod civitati honorificum ē utile est, id tu eidem probro ē detimento esse nugaris: ubi est mens? ubi acumen tuum?

Non incisa notis, (ut Horat. habet) marmora publicis
Per quæ spiritus & vita reddit bonis
Post mortem ducibus : non celeres fugæ,
Rejectæq; retrorsum Hannibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus, qui domita nomen ab Africa.
Lucratus redijt, clarus indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides : neq;
Si chartæ sileant, quòd benè feceris,
Mercedem tuleris. quid foret Iliæ,
Mavortisq; puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli ?

Eodem planè modo nos dicimus; quæ foret hujus vel illius urbis celebritas , nisi alicuius academiae esset hospitium? Quare Scholæ Regiæ sunt civitatibus ē Rebus publicis honorificæ. Utiles autem eisdem esse, si quis non fateatur, eum belluam aut viperam dixerim. Scholæ enim Regiæ litteras ē bonos mores docent; ad humanitatem instruunt; ē suos commovunt, ut mediocritatem lament; Magistratui parcent; salutem Republicæ omnibus commodis præponant:

uant: cumq; alij; qui bono Academæ deslitauntur,
ad illa loca magnis sumptibus proficisci cogantur: tum
illi, quibus forum & mereatus bonarum litterarum
præforibus est, vel nullis vel certè exiguis impensis
possant ea omnia, quæ ad bene beatèq; vivendum
pertinent, in ipso Patriæ sua sinu consequi.

Vox ergo, Auditores, est Bovis, non hominis, co-
rum, qui Academias vituperant, ijsq; id affricant,
quod ingenij turbulentis & ex Academiarum vul-
neribus suam salutem quærentibus, expensum feren-
dum est. Quas voces immanes tanto vehementius
Principes abominabuntur, quanto sciunt & præda-
rius esse, ut vocant Regale, Academiam in suo patro-
cinio habere: & illos, qui Academiarum hostes sunt,
plerumq; tragicè perisse: id quod tum Juliano, tum
alijs accidit: & hostium Academiarum nomen
apud omnes Doctos exosum, invisum, execrandum
manere, dum manebunt litteræ; manebunt autem se-
culis innumerabilibus, rumpantur ut ilia omnibus
Academiarum hostibus. Sed quid in his com-
memorandis multus sum? quis me ventus tam procul à
littore tulit? Sermonis vela contraho, portumq; repeto.

Cum itaq; Artes liberales & studia huma-
niora, Auditores, ad bene beatèq; vivendum sint ne-
cessaria; cum ipsi Deo sint grata: cum absq; illis nec
Ecclesia,

Ecclesia, nec Politia nec Oeconomia florere \mathcal{E} durare pos β it: c $\ddot{\text{u}}$ m remotis illis neq β mercatura, neq β agricultura neq β navigationes, sine quibus vita cursu tene-
re non possimus, exerceri pos β int: nullum est dubium,
Auditores, quin Principibus viris \mathcal{E} Regibus, totis
viribus \mathcal{E} omni animi impetu, incumbendum \mathcal{E}
omnibus sumptibus efficiendum sit, ut Academia \mathcal{E}
Schola, in quibus artes \mathcal{E} studia illa docentur \mathcal{E} pro-
ponuntur, vigeant \mathcal{E} conserventur.

Te Fili Dei Iesu Christe, Redemptor \mathcal{E} Servator
totius humani generis, Verbum aeterni Patris, cuius
ore Deus ad Patres nostros locutus est \mathcal{E} voluntati
ac mente suam erga nos patefecit, Te oro, rogo \mathcal{E}
obsecro, ut h \acute{a} c artium \mathcal{E} linguarum studia atq β , Aca-
demias in hac delira mundi senecta contra furores Sa-
thanæ, \mathcal{E} omnium hostium clementer conservare \mathcal{E}
propagare non deigneris. Te toto pectore \mathcal{E} arden-
tibus votis obtestor, ut Celsissimos \mathcal{E} illustrissimos no-
stros Principes, Dominum Adolphum Fridericum
 \mathcal{E} Dominum Joannem Albertum, Fratres, Duces
Megapolitanos, Principes vetustæ gentis Henetæ,
Comites Sverini, terrarum Rostochij \mathcal{E} Stargardiae
Dynastas, Dominos nostros clementissimos, ab omni
tam anima, quam corporis periculo quam clementissi-
mè, benignissimeq β tuearis. Age benignissime Christe,

C3.

expan-

expansis Illusterrimorum horum Principum nostrorum
rum alis conserva internos sinceram & veram do-
ctrinam: conserva nobis pacem cum studijs humanio-
ribus: conserva hanc nostram Academiam, eamque
ab omnimalevolentia & invidia libera, propter
amaram mortem tuam, Resurrectionem.
latissimam & ascensionem
gloriosissimam.

D I X I.




Docliffr

Doctissimum Virum-juvenem,
Dn. IOANNEM RULENIUM
Fratrem, amicum ac contubernalem suum
alloquitur
CONRADUS BRANDIUS ROSTOCHIENSIS.

IOANNES RULENIUS VVISMARIENSIS.
avaz̄apuān̄l̄p̄m̄.

ES IN SINU: I, NIL MORARE: SANUS VIVES.


Dulcibus ut quondam Seiren Achiloja puppi
Attraxit nautas prætereunte sonis:
Carmine Delphinos ut quondam movit Arion,
Sylvicolas Orpheus voce lyrave feras:
Sic me, sic nostros succendis amore sodales,
Per Ciceronæos dum spaciaris agros.
Si fundenda tibi est oratio: Tullius orat,
Tullius Ausoni⁹ lux generosa soli.
Totus ES INq; SINU Musarum, totus in hortis,
Jusq; suæ laudis donat Apollo tibi.
I pede felici felix: NIL Jane MORARE;
Non caret applausu res benè cæpia suo.
Pergere perge modò: tibi præmia digna manebunt.
Præmia pro meritis, qui tibi tradet, adest.
Singula quid referam? semper tua fama vigebit,
Et SANUS VIVES corpore IANE diu.







Doctissimum Virum-
Dn. IOANNEM R
 Fratrem, amicum ac contub
 alloquitur
CONRADUS BRANDIUS RO
IOANNES RULENIUS VVI
εραχεαμηλούδης
ES IN SINU: I, NIL MORARE:
 D Ucibus ut quondam Seiren
 Attraxit nautas prætereunt
 Carmine Delphinos ut quondam n
 Sylvicolas Orpheus voce lyra
 Sic me, sic nostros succendis amore
 Per Ciceronæos dum spaciaris
 Si fundenda tibi est oratio: Tulliu
 Tullius Ausoniæ lux generosa
 Totus ES INq; SINU Musarum,
 Jusq; suæ laudis donat Apollo
 I pede felici felix: NIL Jane M
 Non caret applausu res benè
 Pergere perge modò: tibi præmia
 Præmia pro meritis, qui tibi tra
 Singula quid referam? semper tua
 Et SANUS VIVES corpo



the scale towards document

Patch Reference Chart TE263 Serial No. 034
 Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.